



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *BHOPALENSIS*

(*SAGARENSIS*) \* QUIBUSDAM DETRACTIS TERRITORIIS EX ARCHIDIOECESI BHOPALENSI,  
NOVUS CONDITUR EXARCHATUS APOSTOLICUS, NOMINE «*SAGARENSIS*». Quo aptius propiusque  
Christifidelium necessitatibus consulatur, opus est persaepe ut quaedam dioeceses, sive vastitate  
territorii latius patentes, sive incolarum numero frequentiores, dividantur, distractisque ex iis  
regionibus novae constituantur sui iuris Sedes. Cum ideo Sacra Congregatio pro Ecclesiis  
Orientalibus censuerit omnino cum populorum utilitate congruere, si exarchatus apostolicus ritus  
Malabarensis in Bhopalensis archidioecesis finibus conderetur, de sententia venerabilis Fratris  
Eugenii D'Souza, sacri eiusdem archidioecesis Antistitis, postque auditum Apostolicum in India  
Pro-Nuntium atque Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione, sequentia decernimus  
atque iubemus. Ab archidioecesi Bhopalensi districtus civiles seiungimus, quibus per vulgus  
appellatio Sagar, Raisen et Vidisha, iisque exarchatum apostolicum ritus Malabarensis  
constituimus, nomine *Sagarensem*, quem curis sodalium Congregationis Carmelitarum Mariae  
Immaculatae concredimus. Conditus exarchatus regetur ad normam iuris, attentis praesertim  
cann. 266-387 Litterarum Apostolicarum «Cleri Sanctitati», die altero mensis iunii, anno millesimo  
nongentesimo quinquagesimo septimo datarum, servato quoque can. 382 de cura fidelium diversi  
ritus in territorio exstantium. Decernimus praeterea ut idem exarchatus metropolitanae Sedi  
Bhopalensi subdatur, instar Ecclesiae suffraganeae. Ea tandem quae praescripsimus ad effectum  
adducat Apostolicus in India Pro-Nuntius, vel ab eo delegatus vir. Qui autem negotium perfecerit  
congrua documenta exaranda curet eaque ad Sacram Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus  
mittat, de more signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum  
efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est  
religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis  
generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec  
voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive  
typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo  
publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

*Datum ex Arce Gandolfi, prope Romam, die undetreesimo mensis iulii, anno Domini millesimo nongentesimo  
sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri sexto.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA  
*S. R. E. Cancellarius*

MAXIMILIANUS Card. DE FURSTENBERG<sup>2</sup>  
*S. Congr. pro Ecclesiis Orientalibus Praefectus*

Franciscus Tinello

*pro Apostolicam Cancellariam Regenensloannes Calleri, Protonot. Apost.*

*Iosephus Del Ton, Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXI (1969), n. 1, pp. 20-21 © Copyright 1968 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana